MISCELLANEA MALACHOLOGICA

AUCTORE

Ab. JOSEPHO BRUGNONE

Pars prima

PANORMI
Ex typographia Michaelis Amenta

1873

Prior tempore, potior jure.

Jamdiu assuetus studiis Siculorum conchyliorum tum fossilium tum recentium, aliquot novas species variis temporibus inveni, quae deinde ab aliis in lucem fuerunt prolatae. Nonnullas autem etiamnum habeo, quae usque adhuc a nemine, quantum scio, vulgatae sunt. Forsitan nostrates malachologi unam et alteram harum specierum postea invenerunt, et in animo haberent eas typis dare. Sed, bona eorum venia et pace, qui prior eas reperit, potiori jure potitur et fruitur eas publicandi. Quapropter nonnullas harum specierum nunc typis edere ac figuris illustrare properavi, ne ab aliis, sicut antea, in hoc praeveniar. In eis nuncupandis, generum recentia nomina optavi; atque in eis describendis, eam plerumque sectatus sum brevitatem, quae minime obesset perspicuitati. Linnaei consilium secutus, nullius viri nomen speciebus imposui, praeter illa meorum parentum, quibus hunc tenuem laborem dico.

Mathildarum testae, quas novi, differre videntur ab illis Turritellarum praesertim elegantiori sculptura, nucleo seu apice revoluto, et operculi structura, quae ad illam Solariorum accedit. In eis, quas nunc sum descripturus, hos characteres deprehendi: praeterea earum basis est plana, et hoc spatium basis, quod angustius est ultimo anfractu, cingulis duobus exilibus et contiguis circumscribitur. In spatio ipso plerumque cinguli striaeque concentricae conspiciuntur, quae a lineis longitudinalibus totius testae denique decussantur et crispantur. Suturae sunt canaliculatae: apertura rotundata: et labrum sinuatum, undulatum ac intus sulcatum carinarum et cingulorum causa.

Mathilda cochleaeformis n. sp. (fig. 1)

Longitudo mill. 11, latitudo mill. 4

(Recens)

M. testa turrita: anfractibus 9, convexiusculis, bicarinatis, longitudinaliter et transversim striatis: carinis elevatis, rotundatis: apertura magna: apice acuto.

Carina superior prominentior ac medium anfractum occupat, inferior suturae proxima. Ad suturas superiores duo cingula exilia et contigua marginant anfractus. Suturae anguste canaliculatae. Striae verticales et transversae in interstitiis carinarum et cingulorum magis conspicuae, eaque intertitia minutissime clathrant; caeterum longitudinales super reliquam testam continuantur et carinas ac cingula crenant et crispant.

Profundiora sinus Panormitani cum duabus sequentibus incolit, unde singula exemplaria pro qualibet specie habui.

Mathilda granolirata n. sp. (fig. 2)

Longitudo mill. 7, latitudo mill. 3 1/4

(Recens)

M. Testa turrita, acuta: anfractibus 7, convexiusculis, carinatis; carinis 4 in quovis anfractu, confertim granulosis.

Supremae duae carinae exiliores et secunda praecipue, tertia in medio anfractuum major et prominentior, extremae suturis proximae. Carinae et earum interstitia lineis elevatis longitudinalibus, frequentibus secantur, unde minuta granula exoriuntur. Color albus, apex pallide fulvus.

Mathilda retusa n. sp. (fig. 3)

Longitudo mill. 7, latitudo mill. 4

(Exemplar recens ac juvene)

M. testa ovato-turrita, tumida: anfractibus 5, subplanatis, carinis 3 transversis lineisque elevatis longitudinalibus obliquis granulato-clathratis: apertura magna: apice obtuso.

Carinae aequidistantes, interstitiis aequales, suprema vix angustior, extremae suturis proximae. Lineae verticales totam testam excurrunt, sed in interstitiis carinarum et in suturis exiliores remanent, cum vero carinas supersiliunt valde granosae fiunt. Spatium planum baseos concentrice striatum. Color fuscus.

Mathilda tricincta n. sp. (fig. 4)

Longitudo mill. 7 1/2, latitudo mill. 3 1/2

(Fossilis pleiocaena)

M. testa turrita: anfractibus 7, convexiusculis, carinis 3 lineisque elevatis longitudinalibus granulato-clathratis: apertura mediocri: apice acuto.

Sculptura praecedenti similis, sed in hac superior carina arctior ob anfractuum convexitatem. Spatium planum baseos lineolis in columellam convergentibus crispatum.

Differt ab antecedenti forma angustiore et acutiore, convexitate anfractuum, apertura minori, et defectu striarum concentricarum in spatio plano.

Altavillae unicum specimen.

Eulima piriformis n. sp. (fig. 5)

Longitudo mill. 3 1/2, *latitudo mill.* 1 1/2

(Fossilis pleistocaena, et recens)

E. testa minuta, subulata, ventrosa, incurvata, laevi, nitida: anfractibus 8, *convexiusculis: apertura parva, ovato-lanceolata.*

Primi tres anfractus reliquis haud respondent; etenim, cum sint nimis exiles, veluti cylindrulum componunt. Species haec satis superque ab *E. distorta* Defr. differt, cum forma, tum convexitate anfractuum, ac, si vis, unica curvatura.

Unicum specimen inveni in argillis ad Ficarazzi, etiam aliud recens parum laesum in arena orae Drepanensis.

Eulima Carmelae n. sp. (fig. 6)

Longitudo mill. 6 1/2, *latitudo mill.* 2 1/2

(Fossilis pleiocaena)

E. testa turrito-oblonga, solidula, laevi: anfractibus 7, *convexiusculis: apertura rhombeo-ovata: labro simplici, acuto, inferius exciso: columella parum contorta: peristomate continuo: apice acuto.*

Anfractus embryonales regulares, ultimus nonnihil ventricosus spiram superat. Extremitas baseos striis transversis corrugatur. Inferior detruncatio labri angulum fere rectum cum columella efficit, et obtusum in labro ipso.

Haec species insignis Altavillae raro deprehenditur, eamque matri meae benevolo animo dicavi.

Odostomia Michaelis n. sp. (fig. 7)

Longitudo mill. 9 1/2, *latitudo mill.* 3 1/4

(Fossilis pleiocaena)

O. testa oblongo-conica: anfractibus 7-8, *planatis, a suturis impressis distinctis: apertura ovato-acuminata: columella superne uniplicata: labro simplici, acuto, intus laevi; apice acutiusculo.*

Anfractus continui, aeque ac regulariter crescentes; ultimus subcarinatus. In hoc praecipue striae incrementi conspicuae.

Hanc praeclaram speciem nomine patris mei libenter insignire volui. Altavillae haud nimis rara.

Varietas ibidem extat minor et paullulum ovata, nisi forte sit diversa species.

N. B. Omnibus in Odostomiis, quas hic describo, apex est revolutus.

Odostomia nisoides n. sp. (fig. 8)

Longitudo mill. 6 1/2, *latitudo mill.* 2 1/2

(Fossilis pleiocaena)

O. testa subulato-turrita, laevi, nitida: anfractibus 10-11, *subconvexis; ultimo angulato-rotundato: apertura ovato-tetragona: columella reflexiuscula, haud umbilicata nec plicata: labro simplici acuto.*

Angulus spiralis longe acutior, aperturae structura, umbilici defectus, et anfractuum embryonalium habitus hanc speciem a *Nisoe terebello* (Turbo) Chemn. longe secernunt. Praeterea mea species aliquantulum accedit ad *Odostomiam ventricosam* Forb. seu *Eulimam* similem Ph. Sed haec est exilior ac gracilior, anfractus (pro magnitudine testae) longiores habet, et angulum columellae cum ultimo anfractu obtusiorem. Inspectio dumtaxat et collatio figurarum harum affinium specierum primo intuitu eas discriminabit.

In margis luteis Altavillae pulchrum exemplar nactus sum.

Odostomia macella n. sp. (fig. 9)

Longitudo mill. 3 1/4, *latitudo mill.* 3/4

(Fossilis pleiocaena)

O. testa minuta, subtereti, solidula, laevi, nitida: anfractibus 7-8, *sutura impressa sejunctis: apertura ovato-acutiuscula: labro simplici acuto.*

Ultimi quatuor anfractus ejusdem diametri fere sunt, tres priores statim decrescunt et acuuntur. Nulli aliae, prout novi, haec species adsimilatur.

Duo specimina cum antecedenti reperi, quorum unum integrum et alterum in labro laesum.

Odostomia bulimoides n. sp. (fig. 10)

Longitudo mill. 5, *latitudo mill.* 2

(Fossilis pleistocaena)

O. testa turrito-elongata, tenui, laevi, nitida: anfractibus 6, *convexiusculis; ultimo spiram superante: apertura ovato-lanceolata: apice acutiusculo.*

Haec species bulimi habitum praefert. Labrum simplex et acutum. Columella superne contorta plicam quadatenus adumbrat.

Unicum exemplar prope Ficarazzi.

Odostomia incerta n. sp. (fig. 11)

Longitudo mill. 4, latitudo mill. 1 3/4

(Fossilis pleistocaena)

O. testa ovato-oblonga, laevi, nitida: anfractibus 4-5, convexis; ultimo subventroso, spiram bis aequante: apertura ovato-acuminata: columella simplici: peristomate continuo: apice obtuso.

Labrum simplex in labium tenue adnatum transit. Exilissima rimula umbililicaris labio subtegitur.

Quatuor specimina inibi.

Odostomia nana n. sp. (fig. 12)

Longitudo mill. 3 1/2, latitudo mill. 2

(Fossilis pleistocaena)

O. testa ovata, utrinque subacuminata, laevi, nitida: anfractibus 4, convexiusculis; ultimo ventricoso, spiram ter aequante: apertura ovato-lanceolata: columella simplici: peristomate continuo.

Duo optima specimina ex iisdem locis prope Ficarazzi comparavi, unum pullum et alterum adultum. Pullum constat tribus anfractibus. Labri labiique producta conjunctio inferiorem extremitatem paullum acuit, et testam tumide fusiformem reddit.

Odostomia pistillus n. sp. (fig. 13)

Longitudo mill. 3 1/4, latitudo mill. 1

(Fossilis pleistocaena)

O. testa turrito-elongata, subumbilicata, fragili: anfractibus 5-6, convexiusculis; ultimo subventricoso: apertura ovato-lanceolata: columella simplici: apice obtusiusculo.

Duo specimina in tufo calcareo prope Panormum legi, eis similia, quae, postea cl. Allery in mari proximo piscatus est.

Rissoa ambigua n. sp. (fig. 14)

Longitudo vix mill. 2, latitudo vix mill. 1

(Recens)

R. testa perminuta, oblongo-conoidea, alba, laevi, nitida: anfractibus 4-5, convexis: apertura suborbiculari, simplici: peristomate continuo: apice obtuso.

Duae varietates in hac specie distingui possunt, oblonga nimirum et dilatata. Nonnulli fortasse ducerent, hanc speciem ad Jeffreysias esse referendam; sed ego, ratione habita formae, pro Rissoa habeo.

Degit in mari Drepanensi.

Lachesis recondita n. sp. (fig. 15)

Longitudo mill. 5 1/3, *latitudo mill.* 2

(Fossilis pleistocaena)

L. testa minuta, turrita: anfractibus 6, convexis, costulis verticalibus lineisque elevatis transversis clathratis: apertura ovata: cauda brevi: canali late aperto: labro subincrassato, intus laevi: apice obtuso.

Primus anfractus laevis, caeteri cancellati. Costulae et cinguli subaequales, atque utrique inter sese aequidistantes superficiem adamussim clathrant, et in corum intersectione granula relinquunt. Costulae in ultimo anfractu 15 circa, quae ad caudam evanescunt. Cinguli in hoc anfractu 10, quorum 5 a costulis secantur, aliique caudam asperant. In reliquis anfractibus cinguli 3 adsunt.

Ob formam minus acutam, sculpturam ad unguem cancellatam, et in primis ob caudam, haec species ab affinibus, nempe a *L. minima* (Buc.) Mont. et *L. mamillata* (Nesaea) Risso, abunde differt.

In tufo calcareo Panormitano exemplar adultum aliaque pulla effodi.

Pleurotoma lanceola n. sp. (fig. 16)

Longitudo mill. 11, *latitudo mill.* 3 1/2

(Fossilis pleistocaena)

P. testa ovato-elongata, mitraeformi: anfractibus 7, subconvexis, tenuissime transversim striatis: apertura anguste lanceolata, infra dilatata: labro extus subincrassato, intus laevi: apice acutiusculo.

Ob sinum in labro prope suturam ad Pleurotomas sive Raphitomas Bellardii hanc venustam speciem retuli.

Primi duo anfractus seu embryonales laeves, caeteri striis transversis, tenuissimis, confertissimis exarati; ultimus spira duplo major. Exilissimae striae incrementi, ad suturam superiorem sinuosae, et hic illic plus minusve conspicuae strias transversas in reticuli modum decussant.

Unicum specimen inveni in tufo calcareo Montis Peregrini.

Murex pereger n. sp. (fig. 17)

Longitudo mill. 14, *latitudo mill.* 6

(Recens)

M. testa turrito-fusiformi, longitudinaliter costata, transversim striata: anfractibus 7-8, carinatis, in carinis tuberculato spinosis: apertura ovata: cauda brevi, rectiuscula, subumbilicata: labro intus laevi: apice acuto, revoluto.

Forma et sculptura sunt admodum regulares. Primi duo anfractus sive embryonales laeves, reliqui convexo-carinati. Carina propinquior suturae su-

periori. Costae aeque totam testam percurrunt ad caudam usque: in anfractibus majoribus 11 circa numerantur, obscure varicosae, obtusae, ad superiorem suturam exiliores, suis interstitiis fere aequales, et interstitiis costarum contiguorum anfractuum respondentes. Striae transversae alternis majores ab illis incrementi crispantur, et ubi in carinis costas intersecant, spinescunt. Cauda subtruncata: canalis vix apertus: color undique rufus.

Inter meos recentes murices offendi, sed unde sit, nescio: num ex Africa in medio spongiarum huc advectus?

Ringicula leptocheila n. sp. (fig 18)

Longitudo mill. 5, latitudo mill. 4

(Fossilis pleistocaena, et recens)

R. testa ovato-acuminata, ventrosa, tenui, nitidula, subtilissime transversim striato-punctata: spira parum exerta: anfractibus 5, convexis: apertura magna, subangulata: columella contorta, plicata; plicis 1-2, acutis: labro tenuiter marginato, intus laevi: labio exilissimo, adnato.

Reperitur copiose ad Ficarazzi et non raro in calcareo Panormitano. Etiam specimen recens Magnisi legi fossilibus simillimum, nisi quod denticulum habeat in medio labii.

Labri labiique nec non totius testae tenuitas, aperturae constructio absque calli vestigio satis hanc speciem definiunt. Nec pro statu juvenili alterius speciei haberi potest. Exemplaria enim adultiora illis in locis non inveniuntur, nec alia hujus generis species inibi affatim extat, nisi *Ringicula auriculata* Menard, quae toto caelo ab hac differt.

Solarium nuperrimum n. sp. (fig. 19, 20)

Longitudo mill. 15, diametros mill. 24

(Fossile pleistocaenum)

S. testa convexo-conoidea, elata: anfractibus 8, subplanatis, cingulis lineisque crenulosis sculptis: basi prope marginem subconcava, sulcata; umbilicum versus convexiuscula, plicis undulato-radiantibus ornata, et lineis duabus impressis cincta: umbilico mediocri, in margine et lateribus cingulo crenato in spirae modum instructo: apertura subrhombea, infra concava, extus acute anguluta et canaliculata.

Anfractus supra vix convexiusculi, in medio et infra vix subconcavi, sutura satis prófunda et angusta distinguuntur. In quovis eorum adsunt lineae elevatae crenulatae, et cingula plus minus crenata, quorum unum magis conspicuum suturae inferiori est propinquius, et a margine lineolis duabus secernitur—In basi (sicuti in reliquis anfractibus) angulus marginis rotundatus, crenulatus; sulcus prope ipsum marginem latus, parum profundus, et in apertura introductus; uterque striatus. Pars convexa baseos umbilici nodulis in plicas radiantes continuatis, nec non lineolis elevatis, concentricis, obsole-

tis ornatur. Linea impressa, quae umbilicum proxime circumit, major est ac profundior externa, et cingulum crenato-nodosum limitat—Margo umbilici, qui hoc cingulo conflatur, ultra umbilicum ipsum intus prominet, et sic usque graditur. Pars anfractuum huic cingulo inferior, convexiuscula, et lamellis arcuatis ac frequentibus consita; proinde latera umbilici nimis corrugata.

Haec species parum accedit ad *Solarium Mediterraneum* Allery=*S. pseudo-perspectivum* Auctorum; sed basi convexa et sculptura optime discriminatur.

Duo exemplaria satis bene servata ex tufo calcareo Montis Peregrini habeo, unum juvene et alterum adultum. Exemplar juvene est altero depressius, caetera simillimum.

Circulus formosissimus n. sp. (fig. 21, 22)

Diametros vix mill. 1

(Recens)

C. testa exilissima, orbiculata, depressa, superne subplanata, valde umbilicata, alba, nitida: anfractibus 3, teretibus; ultimo longitudinaliter costato, transversim cingulato: apertura orbiculari: peristomate continuo, distincto.

Omnes anfractus lineis incrementi sunt pulchre crispati. In ultimo cinguli 3 adsunt, quorum unus dorsum, alter basim submarginant, tertius, qui major, in medo basis umbilicum circundat: costulae 15 circa, ex apertura porro sensim decrescunt, et, ubi a cingulis intersecantur, nodulos praebent. In reliquis anfractibus costulae cingulique evanescunt.

N. B. Omnes isti characteres nonnisi optima lente observari queunt.

Vivit in mari Drepanensi.

Trochus granulatus Born ; n. var. laevis (fig. 23)

Longitudo mill. 34, latitudo mill. 32

(Fossilis pleistocaenus)

T. testa conica, obliqua, apice acuta; basi globosa, dilatata: cingulis transversis paucis, laeviusculis: suturis utrinque marginatis: apertura dilatata, subrhombea.

Differt a *Trocho granulato* Born tantum sculptura; etenim in hoc cingula transversa omnium anfractuum sunt crebriora, alternatim majora, et argute granulata; in varietate vero cingula prope apicem tantum sunt granulosa (quod quidem in plerisque laevibus Trochis commune est) caeterum laeviuscula, aliquando obscure crenulata, et raro frequentia. In hac varietate etiam striae incrementi sunt magis conspicuae, laevitatis ergo.

Panormi in tufo calcareo frequens, Ficarazzi, Guadagna: etiam specimen subfossile servo ex collectione Libassii.

Philippius hanc insignem varietatem non observavit, eo quod loca a praesentibus diversa, et quae nunc impervia sunt, in tufo calcareo Montis Pere-

grini perscrutatus est. Species fossiles, ut viventes, etsi in angusta regione, suut hic illic distributae. Exinde quoque factum, ut nonnullae species a Philippio illic compertae a nemine alio dehinc fuerint inventae.

Trochus Drepanensis n. sp. (fig. 24)

Longitudo mill. 4 3/4, latitudo mill. 5

(Recens)

T. testa late conica, subglobosa, obliqua: anfractibus 4, convexis, transversim striatis; striis lineis incrementi crispatis: basi indistincta: apertura rotundata, dilatata: labro expanso: columella arcuata, cum peristomate confusa: umbilico imbutiformi, parvo, albo: canali umbilicari curvo.

Color testaceo-olivaceus. Pars superior ultimi anfractus nunc maculis albis, paucis, subcurvis; nunc punctis rubro-fuscis; nunc vero (sed rarius) zona atra signatur. Striae undique rubro-articulatae, sive lineolis rubris interruptis ornantur: lineolae in strigas longitudinaliter incurvatas confluunt.

Drepani, quantum scio, tantummodo et raro occurrit.

Fossarus granulum n. sp. (fig. 25)

Longitudo vix mill. 1 1/3, latitudo vix mill. 1 1/2

(Recens)

F. testa perminuta, semiglobosa: spira exertiuscula: anfractibus 3, transversim cingulatis; cingulis elevatis, rotundatis: apertura orbiculari: umbilico imbutiformi, angusto: peristomate continuo, distincto, undulato cingulorum causa.

Cinguli in ultimo anfractu 7-8, interstitiis angustiores; duo ultimi demissiores umbilicum circumdant. Striarum transversarum nullum signum. Color albus.

Parvitas caeterique characteres hanc speciem a congeneribus satis distinguunt.

Inhabitat mare Drepanense.

Natica praesolida n. sp. (fig. 26)

Longitudo mill. 31 1/2, latitudo mill. 33

(Fossilis pleiocaena)


N. testa globosa, crassa, solida, longitudinaliter substriata: anfractibus 6, rotundatis, distinctis: spira productiuscula: umbilico magno, rotundato, aperto, nudo: labio adnato, calloso.

Anfractus omnino convexi, videlicet haud depressi nec subplanati juxta suturam superiorem, quemadmodum in speciebus similibus. Ultimus in specimine bene servato, quod delineavi, duplici serie macularum ornatur. Maculae angulosae, rufescentes, flammulas simulant, ac spatium anfractus a sutura ad basim trifariam aeque dividunt.

Altavillae minime frequens.

FINIS

EXPLICATIO TABULAE



Ab. Brugnone del. in charta J. Tambuscio del. in lapide Panormi ex lithographia